DISSERTATIO INAUGURALIS PATHOLOGICO-ANATOMICA

EXHIBENS

CASUM MEMORABILEM INVERSIONIS VESICAE URINARIAE UNA CUM EPISPADIA ET HERNIA INGUINALI CONGENITA

QUAM

VACANTE IAM PROVINCIA

RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI

DE QUA

DIVUS CAROLUS AUGUSTUS

AD CAELITES NUNC REVOCATUS

POST GLORIOSAM MUNERIS PLUS QUAM DIMIDIATUM SAECULUM GESTI

ADMINISTRATIONEM

MAGNO CUM ACADEMIAE DESIDERIO DECESSIT

CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

JURIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE OBTINENDIS

DIE XXVII MENSIS OCTOBRIS A. MDCCCXXVIII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GEORGIUS HENRICUS BAUER

HERNHUTHO-LUSATUS.

ACCEDIT TABULA AENEA.

JENAE,

TYPIS SCHLOTTERI.

Praefatio.

Quum hoc in more sit positum institutoque majorum, ut qui summos in utraque medicina honores capessere velint, commentationem conscribant inauguralem: nunc quidem veteris illius et perquam laudabilis instituti memor, suadente *Starkio*, Viro Illustri et experientissimo, eodemque praeceptore mihi carissimo, de singulari quodam formationis vitio scribam idque tanto lubentius, quanto magis haec ipsa res memorabilis est et accuratiore et ampliore, quam suppeditat, descriptione digna. Ejusmodi vitiorum enim observationes quamquam fuere viri doctissimi, qui patefacerent atque illustrarent, tamen nihil facere videor, quod a rei consilio abhorreat, si, quae jam equidem observaverim, hoc loco exemplis memorabilibus ab aliis observatis ita nunc adjungere et sub uno adspectu ponere coner, ut, quae primam corporis evolutionem tractat, physiologiae pars obscura plurimisque adhuc et gravissimis difficultatibus obstructa novo hoc exemplo clariorem lucem accipiat.

In quibns vero si multa occurrant, quae accuratius indaganda diligentiusque tractanda fuisse videantur, juvenile studium, quo nonnisi tirocinia producuntur, spero mihi apud benevolos et aequos judices ad excusandum suffecturum.

Scribebam Jenae, pridie Calend. Octobr.
a. a Chr. n. MDCCCXXVIII.

Caput I.

Partium male conformatarum descriptio.

§. 1.

Observationes circa rem, quam hac commentatione illustrare aggredior, institui in puero rustico *Elia Ritz*, e pago, qui prope *Erfordiam* situs est, *Stotternheim* dicto. Hic ipse enim puer sex annos natus caeteroquin integra valetudine hucusque usus vividoque et hilari animo gaudens, at vero tetra eaque nativa partium genitalium deformatione affectus visitabat una cum patre suo anno proxime superiore *Starkium*, Virum Perillustrem, qui hunc puerum multis ex iis, qui in hac litterarum universitate artis salutaris studiosi sunt, ad accuratius observandum obtulit ansamque ad hanc rem examinandam praebuit. Equidem, cui inter spectatores jam versari contigit, nolui hanc scrutandi occasionem praetermittere, sed rem explorare suscepi susceptamque, ut omnis vitetur interpretandi obscuritas vel ambiguitas, lineari pictura naturae convenіente, repraesentandam curavi docta *Goetzii*, artificis Vimariensis, manu, qui eandem in aeneam laminam incidit et quam potuit liquide, penicillo depinxit.

§. 2.

Primum ac proprie in puero, cujus vestimenta ita revolvebam, ut ventris imum plane denudatum esset, tumor quidam convexus idemque rotundus mihi in conspectum veniebat: is ipse etiam tumor locum montis veneris occupabat et massae carnosae, fungosae quasi et rubro colore maxime excellentis speciem prae se ferebat. (Vid. tab. aen. litt. b) Emergebat vero tumor ex fovea quadam, ita quidem, ut hujus margines, tumoris super abdominis integumenta paullulum prominentis ambitu, superstructi essent. Massa illa rubra, pluribus incisionibus in lobulos quasi divisa, permultis iisque parvis papillis carnosis seu carunculis, vulnerum granulationum instar, conflata erat, quae ejus superficiem mollem et humidam reddebant. Ex inferiori tumoris

parte humor quidam, lotii ammoniacali odore excellens, in continuo quaſi ſtillicidio deſtillabat. Diligentius intuenti mihi in inferiori tumoris parte duae occurrebant fiſſurae (litt. c. c.), tres fere lineas inter ſe diſtantes, e quibus lotium deſtillatione emanabat, eo vero discrimine, ut ſiniſtra paullo altius ſita eſſet, quam dextra.

Miſerandus puer doloribus afficiebatur, cum tumorem, qui neque recedebat, neque in cavum abdominis reprimi poterat, extremis digitorum attingerem, imo prodibat inde, etſi parum, ſanguinis. Quo autem pacto, foſſae marginibus tumoris ambitu tectis, ille cum partibus vicinis cohaereret, oculis perſcrutare non poteram; ſpecilli tamen ope, inter foveae marginem et tumoris circuitum inſerti, tumoris margines cum abdominis integumentis coalitos eſſe, certior factus eram.

Latitudo vero tumoris iſtius duobus pollicibus et dimidio aequabat, longitudo vix duobus pollicibus.

Poſtremo in utroque tumoris latere (litt. k. k.) duas tactu explorabam gibbas, quas hiantium pubis oſſium anguli efficiebant, quorum vero hiatu maſſa ſupra memorata quaſi protruſa appareret.

§. 3.

Quibus ample, opinor, expoſitis, jam, quae fuerit membri virilis ratio, paucis defungamur. Hoc quidem reconditum inveniebam ſub tumore prominente, quo quidem magna ex parte ſuperſtructum et quaſi obumbratum apparebat.

Reperiebam ipſum membrum virile ſolito brevius et latius: longitudo ejus, ſi ſtatum non protractum ſpectamus, vix ac ne vix quidem pollicem aequabat, latitudo vero in anteriori balani ſede pollicem et ſupra.

Balanus ipſa (litt. d.), pene non extracto, ſola fere pars totius membri virilis extrinſecus prominens, juſto quoque craſſior et latior occurrebat nec non media inciſione diffiſſa, ita quidem, ut duo quaſi haemiſphaeria exſtare viderentur.

Praeputium quoque male conformatum (litt. e.) glandem omnino non induebat, ſed, colis ſuperiore facie nuda deſtituta, ab inferiori glandis parte ſolito longius craſſiusque valdeque rugoſum et laxum dependebat; cujus a margine inferiori frenulum ſurſum tendens inter balani haemiſphaeria ſepti inſtar inſerebatur. (litt. f.). Praeterea inferior colis facies magna ex parte ſcroto affixa apparebat. At vero glans non ſola, ſed tota urethra, quantum ejus, propendente tumore, conſpicere mihi liceret, in dorſo penis juſto planiori, ſecundum longitudinem ſuam diffiſſa erat.

In anteriori ſuperiorive balani facie, praeputio non veſtita, foveam quandam reperiebam (litt. l.) foſſam navicularem urethrae perſpicue referentem et inde in ſulcum ad penis radicem exeuntem, qui vero, pene, quantum fieri poterat manu extracto, in

conſpectum veniebat et magis magisque complanabatur, ita ut poſtremo plane evaneſceret.

Nullum in urethra capitis gallinaginis et ductuum ejaculatoriorum veſtigium apparebat, quamquam colem, quantum ob brevitatem iſtius et tumorem illum propendentem licebat, protrahebam.

§. 4.

Jam ad ſcroti (litt. g) rationem quod attinet, id a vicinis integumentorum partibus accurate non diſtinctum erat, ſacci ſpeciem tam luculenter non praebens, uti in ſtatu normali fieri ſolet, pluribus tamen rugis et raphe medio decurrente conſpicuum. Teſticulum utrumque in ſcroto, ſed exiguum inveniebam, id quod ſpectabat imprimis ad eum, qui dextrum occupabat locum; at vero, diligentiori tantum perſcrutatione inſtituta, indagari poterat.

Porro in ſiniſtro latere hernia inguinalis nativa, (litt. h) inſignis voluminis vel in ſcrotum deſcendens occurrebat, quae, affirmantibus parentibus, noctu quoque, cum puer ſupinus jaceret, ultro recedere non ſolebat.

§. 5.

Id denique haud plane praetermittendum mihi videtur, quod umbilicus (litt. a) ſolito inferius poſitus eſſet. Minime etiam regularem praebebat ſpeciem, ſed oblonge diſtractus rubri tumoris margine ſuperiore ſedem occupabat unum fere pollicem altiorem. Inter umbilici locum et ſuperiorem tumoris partem taeniam duriuſculam tactu percipiebam, oſſis pubis unius lateris angulum cum eo alterius lateris conjungentem, quippe quae ſemicirculi inſtar ſuperiorem tumoris partem ambiret. Maxime vero locus ſub ipſum umbilicum poſitus duritiem fere cartilaginoſam praebebat; quam quidem a retractis muſculis abdominalibus referendam eſſe exiſtimo, niſi quae maſſae cuidam ligamentoſae, nexum quendam oſſium pubis hiantium reddenti, tribuenda ſit.

§. 6.

Rem hactenus deſcriptam ut mihi clariorem redderem, parentes de matris graviditate explorabam. — Parentes cum juvenes eſſent optimaque valetudine uterentur, maturas nuptias celebravere: etiam nuptiarum primordium hilariter ſummaque concordia degebant, ac ſi quid ruſticus labor incommodi attuliſſet id et lubenter et ſine ullo moerore una ferebant.

Ecce autem eodem, quo vix mater primam ſobolem eamque ſororem malo deſcripto afflicti proſpere ediderat, anno, et multa magnaque inter utrumque parentem

naſcebantur diſſidia, gravesque tempeſtates exiſtebant. Quibus accedebat, ut et haec uxor, cum adhuc juvenilis eſſet, libidine vexaretur voluptatisque ſtudio nimis indulgeret, quo factum erat, ut blandis adulatorum verbis aurem et venerem lubentius praeberet, quam ipſo marito. Qui quum accepiſſet conjugis fidem et conſtantiam erga ſe violatam, ira in uxorem accenſus eſt, ſaepiſſimas etiam et vehementes ei de hac vita diſſoluta fecit opprobria, quin vel etiam verberibus interdum caſtigabat.

Jam ſecundum ingraveſcebat uxor: maritus ei etſi parcebat, priſtina tamen pax plane non reſtituebatur, certe non antea, quam cura et minae magiſtratus praefecturae ſubveniebant, quibus concordia et amicitia nuptialis reconciliabatur. Uxor igitur puero malo deſcripto depravato gravida per hoc et reliquum tempus ſatis valuit rebusque agendis ſuffecit, nec ullis difficultatibus, ſed proſpere partum hunc monſtroſum edidit.

Haec de uxoris graviditate: alia huc ſpectantia uxor de his incurioſa mecum communicare non poterat. Etiam infantem recens natum non niſi primo aetatis anno ſpasmis laboraſſe, parentes narrarunt. Quibus itaque explicatis, quanam ratione pueri nativa illa deformatio explicanda ſit, reſtat. Ad haec igitur transeamus.

§. 7.

Rerum deſcriptarum epicriſis.

Quemcunque fabricae corporis humani haud plane rudem jam non fugiet, opinor, quo modo tumoris illius rubri et ſpongioſi natura ſit dijudicanda. Itaque harum rerum peritis haud inepte videor facere, ſi tumorem iſtum pro *veſica urinaria inverſa* habeam: opinor enim, ut haec adjiciam, illam pravam formationem adeſſe, quam ſcriptores *prolapſum veſicae urinariae inverſae* aut rectius *inverſionem veſicae urinariae* vocare ſolent, aut quod *Meckelius* [1]), hisce verbis ſignificat: „*Harnblaſenſpalte mit gleichzeitiger Spaltung der Schaambeinfuge.*“

Primaria argumenta, quae hanc meam de hisce rebus ſententiam tueri videntur, maxime quaerenda ſunt:

a) In ipſa vitii ſede.

b) In tumoris ſuperficie, membranarum mucoſarum ſpeciem ac naturam luculenter prae ſe ferente.

c) In continuo lotii ſtillicidio ex fiſſuris ſupra propoſitis guttatim deſtillantis, quas vero ureterum orificia reddere facile intelligitur.

1) *Meckel Handbuch der menſchlichen Anatomie.* I. p. 492. Ejusdem *Handbuch der pathologiſchen Anatomie.* I. p. 716.

d) In eadem et balani et urethrae fiſſura, nec non in pene ſolito breviori. Veſicae enim fiſſura in urethram quoque promota videtur: quid vero ſit, quod coles juſto breviorem ſe repraeſentet, maxime in eo quaerendum eſt, quod oſſa pubis hient. Sed de hoc poſt dicetur.

Itaque cum urethrae vel univerſae omnino vel uno tantummodo ex parte fiſſurae in ſuperiori colis facie *epiſpadiae* ſeu *anaſpadiae* [2]) vocem tribuamus, ſatis arbitror titulum, quo libellum inſcripſi, poteſt comprobari.

Caput II.

Aliorum obſervationes circa ſimiles deformitates.

§. 8.

Statuenti mihi me omnino nova et plane inaudita ſuperiori in capite narraſſe, quin adverſariorum turbam in me exacerbarem non dubitaverim, qui haec dicta, ut eadem confeſtim negarem, vehementer poſtularent. In medium proferrent argumentum, quod jam ſimilium obſervationum copia exſtaret, ſive in ſingularibus commentariolis deſcriptarum, ſive in varii generis ſcripturis inſertarum. Quibus ut repugnem, tantum abeſt, ut iis ſuccurram, ſcriptorum hac de re nomina enumeraturus. Deſcripſerunt vero deformitates noſtro vitio plus minusve ſimiles et in potiori et in ſe-

2) Significatio vocabulorum *epiſpadia* et *anaſpadia* voci *hypoſpadia* convenienter formata eſt: *hypoſpadiae* enim ſtatum ſi ſpectas, ea plane repugnat *epiſpadiae*, quo nonniſi vitium aperturae ſeu fiſſurae in urethra ad dorſum indicatur; *hypoſpadia* contra, id quod vocabulum aperte a Graeco verbo ὑπο et σπάω derivandum eſt, deſcribit ſtatum a norma recedentem, in quo invenitur apertura in inferiore penis facie, cui annexa eſt penis detractio adligatione ejusdem in ſcroto effecta. Inde itaque, ſi ad verbi originem ſpectas, clare patet, vocabulo *epiſpadia* et *anaſpadia* minime ſufficere ad ſtatum abnormalem ſatis deſcribendum. Jam vero, cum, quid medici hisce vocabulis ſignificare ſoleant, ſatis conſtet, non eſt, quod ea plane rejiciamus.

Quae cum ita ſint, vix adſtipulari poſſum *Biſchoffio* V. C. cum in ephemeridibus *Henkianis* caſum memorabilem urethrae virilis fiſſurae publici juris faciens, haec proferat: „*Es iſt dieſe Miſsbildung zwar von mehrern achtbaren Männern mit dem Namen Anaſpadie und Hyperſpadie bezeichnet worden, allein ich behaupte, daſs hier durchaus von keiner Art von Spadie, ſondern von einer intereſſanten Uebergangsform zu einer andern wichtigen Miſsbildung, zur Harnblaſenſpalte die Rede ſey.*“ Nam etſi extrema hujus opinionis pars pro vera habeam, tamen, pro notione ſupra conſtituta, huic etiam caſui, a *Biſchoffio* deſcripto, *epiſpadiae* ſeu *anaſpadiae* vocem tribuendam eſſe puto, qua etiam *Baumius*, in eodem caſu deſcribendo, uſus eſt.

quiori ſexu obſervatas *Huxham*[3]), *Oliver*[4]), *Warwik*[5]), *Bonn*[6]), *Thamm*[7]), *Rooſe*[8]), *Creve*[9]), *Duncan*[10]), *Frank*[11]), *Iſenflamm*[12]), alii. Quid tandem omnes ſingulas ſingulatim ejusdem vitii obſervationes copioſius referre? Semel enim narrata paene iisdem verbis reddere mihi viderer. Permultos vero hujus generis caſus in *Voigtelii*[13]) et *Meckelii*[14]) ſcriptis, quae de partium humani corporis ſtructura morboſa agunt, invenies, quamobrem aliquot ſolum obſervationes, ab illis ſcriptoribus non commemoratas, paullo uberius hic enarrabo.

a) *Villaume*[15]) in viro, propter herniam ſtipendia facere nolente, id quod exhibuit, in regione pubis ſub communibus integumentis, pertenuis indolis, ex diffiſſis pubis oſſibus prominentem obſervavit haemiſphaericum, mollem, lividum, quaſi ſugillatum tumorem, qui digito depreſſus in abdomen receſſit, ſed, illo remoto, illico prolapſus eſt. Sub eo diviſa apparebat glans, cui urethrae diffiſſae ſemicanalis ſuperimpoſitus erat. Urina ultro deſtillabat.

Inter hunc et quem equidem obſervavi caſum omnino hoc diſcrimen intercedit, ut in illo veſica inverſa communibus integumentis obducta appareat, in hoc vero veſica ab omnibus integumentis libera, quamobrem illi *herniae veſicae diffiſſae congenitae* nomen tribuendum eſſe putaverim.

b) Noviſſimum, quod accepi, exemplum *Henry Vernon*[16]) enarrat. In maſculo enim infante, tres dies nato, proxime infra umbilici ſedem piriformem obſervavit tumorem, qui vero usque ad oſſa pubis deſcendere atque interna veſicae tunica contineri videbatur. Cujus in parte inferiori parum ab ſe invicem diſtan-

3) Philoſophical Transactions Vol. XXXII. p. 408.

4) Ibid. p. 413.

5) Ejusdem libri Vol. XLII. p. 2464.

6) *Bonn über eine ſeltne und widernatürliche Beſchaffenheit d. Harnblaſe u. Geſchlechtstheile eines 12 jährigen Knabens. Strasburg* 1782.

7) Diſſertatio de genital. ſexus ſequior. varietate, auctore *Thamm.* Halae 1791.

8) Diſſertatio de veſicae urinariae inverſae prolapſu, auctore *Rooſe.* Gottingae 1793.

9) *Creve über die Krankheiten des weiblichen Beckens. Berlin* 1795.

10) Edinburg medical journal 1805.

11) *Frank* de curandis homin. morbis. p. 78.

12) *Iſenflamm Beſchreibung der äuſsern und innern Beſchaffenheit einer angebornen, vorgefallenen, umgeſtülpten Harnblaſe, nebſt den angränzenden Theilen eines männlichen Körpers. Dorpat* 1806.

13) *Voigtel Handbuch der patholog. Anatomie III. p.* 241.

14) *Meckel Handbuch der patholog. Anatomie.* I. p. 714.

15) Journal de medicine, chirurgie et pharmacie. Juin 1814.

16) Edinburg. medical and ſurgical journal. Jun. 1827. p. 81.

tia ureterum reperit orificia, e quibus urina continuo emanabat ſtillicidio. Colem vero ipſum molli ac glandulosa textura nec non rubro colore praeditum et quod ad ejus longitudinem ſpectat ſemidigitalem invenit. Superior ejus facies ſulcum quendam repraeſentabat, cujus in medio loco duo apparebant foraminula, tuberculo quodam ſeparata, quae ductos eſſe ejaculatorios cum capite gallinaginis putavit. Penis vero inde a veſica diffiſſus occurrebat, ſiquidem ejus crura ad oſſis iſchii utriusque lateris tubera divergendo deſcendere viderentur. Teſtes ambo in ſcroto inveniebantur.

§. 9.

Quodſi vero omnia veſicae fiſſurae exempla comparaveris, hoc formationis vitium in maribus ſaepiſſime obſervatum invenies, quod et *Iſenflammius* teſtatus eſt. Attamen haud plane vacare hoc vitio ſequiorem quoque ſexum ex ſcriptoribus hac de re ſatis intelligimus, quorum vitiorum, cum pro diſcriminis ſexualis ratione quodammodo diverſa occurrant, quasdam obſervationes adjicere haud ſupervacaneum duxerim, idque tanto magis, quanto duo ejus vitii ſpecimina, quibus muſeum anatomicum *Jenenſe* inſtructum eſt, commemorandi mihi erit copia.

a) Unum ex iis ſpectat ad corpus virginis, quae jam anno aetatis decimo ſexto e vita diſceſſit. Primum quidem ut duos et quod excurrit annos natam obſervaret beato contigit *Herdero*, qui tunc temporis diligentiorem dedit vitii, quo vexabatur illa, et accuratiore delineatione illuſtratam deſcriptionem [17]).

Externas autem partes illius male conformatas, quae et ad mortem usque ita conſiſtebant, ut praeter magnitudinem, pro ratione reliqui corporis pariter auctam, nil quidquam permutatum obſervari poſſet, ſic ſe habuiſſe *Herderus* enarrat: In regione pubis tumor quidam prominuit rotundus, ſed inaequalis, longitudine ſeſquidigitalis, qui ſpeciem maſſae carnoſae, crudae, fungoſae et excoriatae prae ſe tulit. Ab utroque latere et inferiore tumoris parte oblique deſcendebant invicem in medium baſis vergentes duae carunculae carnoſae, papilliformes, capitulis obtuſis, rotundis libere prominentibus praeditae, in fiſſura quaedam parva cernebatur, ex qua utraque lotium ſemper deſtillabat; quas vero inverſas eſſe atque foras protruſas ureterum extremitates jure putavit *Herderus*. — Quibus accedit mala quaedam partium genitalium externarum conformatio. Deſcendebat enim juxta partem utramque inferio-

17) Diſſertatio inauguralis medica de nativo prolapſu veſicae urinariae inverſae, in puella obſervato. Jenae, 1796.

rem tumoris ex utroque inguine verſus genitalia tumor quidam oblongus adipoſus, integumentis communibus tectus, cujus figura erat fere cylindracea et vel quaſi erucae ſimilis. Appropinquabant quidem ſibi invicem inferiores tumorum oblongorum extremitates, nullus tamen earum conſpiciebatur nexus, ſed utraque reclinata apparebat et in conchae modum retrorſum detorta.

Quos vero tumores adipoſos majora vocavit *Herderus* pudendorum prolapſa veſica longe diſtenta labia. At vero ſi ſequamur ſententiam *Fuchſii*, quem praeceptorem quondam noſtrum gloriamur, cui eandem puellam ſerius perquirere obtigit, minora habenda ſunt labia, quae nymphas quoque vocant.

Introrſum inter hanc labiorum curvaturam ſub veſica prominente reconditus conſpiciebatur introitus ad vaginam admodum anguſtus, et arcto, quod quidem vix unius pollicis latitudinem aequabat, perinaeo ab ani orificio ſeparatus.

Ani vero orificium ipſum, magis, quam par eſt, dilatatum apparebat, quo ſieri ſolebat, ut per niſum et clamorem infantis inteſtini recti pars ſaepius protruderetur. — Nullum in regione umbilicali umbilici inveniebatur veſtigium: in media autem parte inferiori regionis hypogaſtricae ſtatim ſupra veſicam inverſam ſpectabatur plica quaedam transverſalis, ovalis, duriuscula, quo quidem loco funiculum umbilicalem in abdomen immiſſum fuiſſe mater aſſeveravit. — Poſtremo nulla quoque aderat ſynchondroſis oſſium pubis, quae tactu exploralata hiantia inveniebantur.

Quae quidem obiter excerpta e fuſiori *Herderi* deſcriptione ſufficiant, ut partium conditionem ſatis intelligas, utpote haec, perquiſitione in vivo adhuc corpore inſtituta, cognoſci poſſit.

Equidem vero, id quod valde delectat, quaedam de internarum quoque partium conditione tibi afferre poſſum, quae vero plurima ex beati *Fuchſii* commentariolis inſcriptis „*hiſtoria anatomica prolapſus nativi veſicae urinariae inverſae, in corpore femineo obſervati*“ et quidem ex particula prima et ſecunda [18]) depromere mihi liceat.

Cui enim viro, magno ingenio cum omni doctrina excellenti, tum maxime corporis humani fabricae peritiſſimo et in ipſis cadaveribus rite diſſecandis dexterrimo, quem tantum, proh dolor! nuper morte nobis ereptum pie lugemus, quum anno contigiſſet milleſimo octingenteſimo decimo, ut illius puellae corpus, morte exſtinctae, cultri anato-

18) In duabus hisce particulis deſcriptio laudata haud plane ad finem perducta eſt; attamen omnino dubitaverim, quin beatus plura hac de re ſcripſerit; nil certe amplius mihi in manum venit.

mici ope diſtinctius perquireret et perveſtigaret, quae vero memoratu digniora invenit in plagellis ſupra laudatis depoſuit. Haec igitur paucis commemorare liceat.

Facta inciſione a plicae iſtius transverſalis margine ſuperiore, quo quidem loco, *Herdero* teſte, funiculus umbilicalis olim inſertus fuiſſet, per integumenta communia et muſculos abdominales, ad cartilaginis xyphoidei apicem usque, quatuor in utroque latere apparuerunt fila albida, tenacia, quorum utrumque, e duabus radiculis natum, cum plicae dictae interna ſtrage cohaerebat. Quae quidem fila abhinc in ſuperficie peritonaei externa adſcenderunt, adſcendendoque convergentes bina in filum ejusdem naturae, pro ratione craſſius, coierunt. Ambo haec fila craſſiora, ſpatio ſeſquidigiti emenſo, in utroque latere in funiculum, lineam diametro aequantẽm, ſeſe conjunxerunt; qui poſtremo cum ſimili alterius lateris funiculo, ſtatim ſupra eum locum, quem in ſtatu normali umbilicus obtinet, in funem communem committebatur. Hic funis ſerpere perrexit ad pollicis latitudinem inter peritonaeum et lineam albam; deinde vero ab hac directione magis recedens et in peritonaei plicam falciformem receptus ad ſulcum hepatis longitudinalem pervenit et abhinc verum *venae umbilicalis* decurſum monſtravit.

Quae vero ſingularis venae umbilicalis conformatio Perill. Fuchſium eo perduxit, quod placentam in ſtatu demortuae foetali proxime infimam abdominis partem obtinuiſſe ſuſpicaretur, ita ut ramis ejus venoſis in abdominis cavo demum eſſet committere ſeſe in truncum communem.

Accedit autem in perveſtigandis abdominis viſceribus alia quaedam conformatio non regularis.

A media enim parte marginis inferioris omenti magni conſpiciebatur appendix ejus, quatuor linearum latitudine, quae quidem libere inter parietem cavi abdominis anteriorem et inteſtina tenuia in directione verticali deſcendebat in pelvim, ibique ſenſim acuminata cum apice anguli cujusdam, cujus ambo crura albicantia, chordarum tenſarum ad modum, divergendo ad ambo pelvis minoris latera deſcendere videbantur, intime ſeſe conjungebat; quamque miram aberrationem primariae etiam formationis vitium eſſe habendum Perill. Fuchſius jure meritoque putavit.

Revocatis itaque iis ex Viri beati commentariolis, quae memoria digna maxime mihi videntur, pauca quaedam adjicere, autopſia qnidem percepta liceat.

Maxime vero mihi, cum cadaveris ipſius, bene adhuc conſervati, conditionem perquiſiverim, mira videbatur ureterum amplitudo, quae quidem tanta erat, ut normalem menſuram triplo excederet, nec non juſto ampliores occurrebant pelves rena-

les. Nil vero quidquam praeterea inveniebam, quae memoratu digna viderentur; partes etiam genitales internae, quantum eas conſpicere licebat, bene apparebant formatae.

b) Transeamus jam ad alterum, quod in muſeo noſtro anatomico cuſtoditur, ſpecimen vitii illius. Eſt hoc puellae corpus, jam demortuae antequam partu edebatur, quod quidem veſicae urinariae ac partium genitalium externarum deformationem praebet ab Herderiana parum alienam.

Illa enim ſola intercedit utramque diverſitas, quod in *Herderiana* ureterum extremitates foras protruſae ac libere prominentes appareant, in hac autem, earum loco, duae fiſſurae anguſtae ureterum orificia prodant.

Pluribus inſuper conformationis vitiis ejus corpus abundat; cavum enim abdominis plane apertum conſpicitur, ita quidem ut totus inteſtinorum tenuium tractus foras protruſus videatur. — In hoc ipſo etiam corpore apparet in regione lumbali ſpina bifida. — Internarum autem partium conditionem, quas *Huſchkium*, Virum Excellentem diligentius exploraviſſe conſtat, utinam melius cognoſcendi viam nobis aperiat, vehementer optamus.

§. 10.

Quae ſi vero recenſeamus omnia veſicae diffiſſae exempla hanc deformitatem in maribus ſemper una cum epiſpadia conjunctum exſiſtere ſatis intelligimus, quippe quae veſicae fiſſura in urethram quoque promota eſt. — Nullo modo autem epiſpadiam quoque veſica ſemper diffiſſa concomitari probatur: experientia enim ipſa repugnat. Mihi quidem de epiſpadia ſcripta perluſtranti multa occurrerunt ſolius epiſpadiae ſpecimina cum veſicae fiſſura non conjunctae. Quorum ex numero, ſi unum quidem paullo uberius commemorem, ſufficiet, opinor, quo epiſpadiae naturam intelligas. — Eſt autem coles, de cujus fabricae aberratione dicere mihi propoſui, ejusdem viri, cujus deſcriptionem jam *Baumius* 19) et poſthac Celeberr. *Biſchoffius* 20) publici juris fecerunt, quamque perverſam formationem elegantioribus iconibus luculenter illuſtrandi operam illi navaverunt. — Et noſtrum poſſidet muſeum anatomicum imitationem illius, in cera quidem effictam.

19) De urethrae virilis fiſſuris congenitis, ſpeciatim de epiſpadia. Berol. 1822.

20) *Beitrag zur Lehre vom Unvermögen zur Geſchlechtsverrichtung, durch Miſsbildung der Zeugungsorgane, vom Prof. Chr. H. E. Biſchoff in Bonn.* Vid. *Henke's Zeitſchrift für gerichtl. Medicin und Staatsarzneykunde. 4ter Jahrgang 4tes Heft.*

Joh. Joachim Stolte, Hamburgenſis, nunc quidem quadragenarius, ante aliquod tempus totam fere pervagatus eſt Germaniam, ut ex colis ſui tetri, quo depravabatur, oſtentatione, pecuniam ſibi pararet. Qui vero coles juſta erat craſſitudine praeditus et paululum manu extractus tres fere pollices aequabat. Superior ejus facies a balano inde usque ad ſymphyſin oſſium pubis prorſus apparebat diffiſſa, quo quidem efficiebatur, ut totus urethrae decurſus inde a foſſa naviculari ad veſicae urinariae collum usque in conſpectum veniret, quamque fiſſuram verum eſſe urethrae canalem, *Morgagniarum*, quas vocant, glandularum multitudo, qua illa abundabat, ſatis arguebat.

Quae ſic deformata urethra ſub veneris monte in canalem ſatis amplum exiebat, per quem digiti tertiam phalangem in veſicae cavum immittere poteras et ex quo urina, non quidem continuo ſtillicidio, at vero ſi ſatis magna ejus copia collecta fuit, ultro profluebat, niſi vir, cruribus decuſſatis atque ventri admotis, colli veſicae diffiſſae compreſſerit labia et ita urinam proflucturam retinuerit. — Teſtes quidem in ſcroto inveniebantur; ductuum autem ejaculatoriorum nullum apparebat veſtigium; feminarum denique appetitus omnino deerat.

Quae vero ſit mirae hujus conformationis natura, in eo quidem deſcriptores ſupra vocati valde diſſentiunt.

Baumius enim, juſta penis craſſitudine perductus, corpora ejus cavernoſa non a ſe invicem ſeparata, ſed proxime juſto modo connata eſſe, urethram igitur in dorſo penis tanquam ſemicanalem decurrere arbitratus eſt. — *Biſchoffius* autem corporum cavernoſorum defectum ſtatuit, quo efficiatur, ut urethra aperta in conſpectum veniat, in corpore ſuo ſpongioſo poſita, quod quidem craſſitudine juſto majore praeditum exiſtimat. Concedit tamen poſthac corporum cavernoſorum penis rudimenta quaedam in utroque latere conſpici, proxime quidem poſt coronae glandis ſedem collocata.

Quo in doctorum diſcrimine arbitri partes haudquaquam aſſumpſerim, ſed haud ſuperfluum exiſtimo, ſi, quae de hac re et mea ſit opinio, in medium proferam.

Rem vero accuratius ſi perpendimus nec non vitii delineationes in auxilium vocamus, *Baumio* quidem, qui ſitus urethrae aberrationem ſtatuere videtur, adſtipulari vix poſſumus; quamquam e contrario corporis penis cavernoſa plane defuiſſe *Biſchoffio* non conceſſerim. — Equidem vero hanc conformationis aberrationem eo, quod corpora cavernoſa non coaleſcerent, contineri putaverim, quo quidem urethram, cui rectus in corpore ſuo ſpongioſo decurſus tribuendus videtur, ſurſum apertam eſſe debere facile, opinor, intelligitur. Sed hoc non ſatis. Dum haec enim typis excu-

duntur mihi novus quidam deformitatis caſus occurrit [21]), qui hoc loco haud omittendus eſt, imprimis cum hunc ipſum caſum benigne mecum communicarit vir praeſtantiſſimus idemque praeceptor dilectiſſimus *C. W. Starkius*, cujus humanitati erga me tot tantaque debeo, quanta verbis vix dicere poſſum.

Caſus ipſe hisce in rebus verſatur. *Hopferus*, phyſicus apud *Biberacenſes*, infantem duos dies natum invenit, de cujus partibus genitalibus maxime dubiis judicium ei ferendum erat, quod quidem ita tulit, ut has partes magis viriles exiſtimaret quam femineas.

Jam vero effigiem de hac re depictam accuratius ſi contemplamur, ſatis apparet hanc ipſam deformitatem cum illa multis in rebus convenire, qua *Stolte*, ſupra deſcriptus, laborat, neque omnino recuſo, quin *Hopferi* ſententiae adſtipuler et ipſas has partes deformes viriles declarem. Conditionem enim naturalem, prima quidem figura effictam, ſi ſpectes, conſpicis tantum balanum, quae quaſi ad abdomen attracta apparet. Solito majorem habet latitudinem et tantum ab infima parte praeputio tecta conſpicitur; ſuperne vero ſpectata in duas partes ita diviſa apparet, ut vel quaſi duo haemiſphaeria conforment et maxime ſimiles ſint, quas in puero, a nobis deſcripto, obſervavimus. Ipſo *Hopfero* teſte urina inter glandem et abdomen profluxit.

Figura vero ſecunda ante oculos ponit penem detractum. Conſpicis etiam balani fiſſuram continuam usque ad partem poſteriorem ſuper penis breviſſimi tergum, ita ut denique in exiguum foramen exeat, e quo emittitur urina. Ad utramque partem ſulci illius duo apparent tumores, quos *Hopferus* pro eorum ſimilitudine cum minoribus pudendorum labiis comparat. Equidem vero ſulcum jam deſcriptum urethram diffiſſam habeam, illosque tumores tantum corpora cavernoſa penis, ad latera diſpoſita, exiſtimare velim [22]). Foramen vero, e quo urina emittitur, haud dubie, ut Biſchoffii verbis utar, ipſum eſt initium fiſſurae veſicae; vel ut opinionem meam, proxime in ſequenti capite fuſius exponendam, afferam, fiſſurae veſicae, prorſus antea diffiſſae, reliquiae.

Ad ſcrotum quod attinet id ipſum certis limitibus diſtinctum apparet; uterque

21) In ephemeridibus ſic inſcriptis: *Journal für Chirurgie und Augenheilkunde, von Graefe u. Walther.* Tom. XII. Vol. I. *Berlin* 1828. p. 87. Tab. I. f. 1. 2.

22) Illa vero ſimilitudo, quae intercedit corpora cavernoſa et minora pudendorum labia, phyſiologorum illorum ſententiam corroborare videtur, qui nymphas corporibus illis luculentiſſime reſpondere docent, ita quidem, ut nymphas brevioris urethrae femineae corpora cavernoſa habere liceat.

vero testiculus nondum erat demissus. Etiam umbilicus solito inferior positus videtur. Ossa pubis num diffissa fuerint nec ne, e descriptione *Hopferi* haud patet.

Plura denique hujus generis vitia, si quis quaerit, eum cogimur ablegare in *Baumii* scriptum supra laudatum.

Caput III.

De ortu mali ejusdemque natura physiologicae observationes.

§. 11.

Quoniam quae hucusque ex instituto nostro afferenda erant, attulimus: sequitur, ut de mali origine atque natura jam fusius loquamur. Quod vero ad *naturam* spectat, supra (§. 7.) exposita breviter repetere liceat. Illic enim, si bene meministi, constitui, naturam mali in inversione vesicae urinariae diffissae nec non in synchondroseos ossium pubis fissura ponendam esse.

Hic vero ut status vesicae abnormis magis eluceat, comparatione quadam jam utamur. Fac saccum seu marsupium quoddam, sphaericum tamen et quoquoversus conclusum, fac etiam incisionem in parietem ejus anteriorem et sic incisum ad utrumque latus reclines.

Quibus ita peractis internam parietis posterioris faciem in conspectum veniat oportere facile intelliges.

Qua vero comparatione, cum quod debeat, bene exprimatur, mea quidem sententia, in perversa nostra vesicae conformatione verus parietis anterioris defectus, quod quidem alii [23]) arbitrantur, sensu strictiori non statuendus videtur. — Equidem certe parietem illum anteriorem vel quasi ad latus utrumque reclinatum habeam, ita quidem, ut vesicae inversae partes laterales quasi formet.

Quibus denique intelligitur, curationem hujus vitii radicalem, quam dicunt, non nisi in pariete vesicae posteriori reponendo et in marginibus lateralibus appropinquandis nec non in iis conjungendis ponendam esse, quam quidem operationem gravibus quibusdam argumentis vetari satis liquet.

§. 12.

Scriptoris nostrae quidem aetatis, qui de hac singulari vesicae conformatione egerunt, jam si recenseamus, alios multos veram ejus naturam seu causam proximam

23) *Rudolphi Grundriss der Physiologie I.* p. 36.

rite perſpexiſſe, alios vero ſuperioris quidem ſaeculi, eam fugiſſe invenimus. Itaque ex multis ut unum tantummodo eumque *Huxhamium*, medicum anglicum, commemorem, cujus ſententia haec eſt [24]):

Obſervavit enim, ut haec primum ponam, maſſam, ſpongioſam mollemque in feminae cujusdam, viginti tres annos natae, medio fere abdomine prominentem et *funem fuiſſe umbilicalem*, male a partu absciſſum, male dein curatum exiſtimavit, ea fortaſſe inductus, quod nulla, niſi hic, umbilici reperit veſtigia. Ureterum denique orificia pro uracho pervio et in duos tubulos diviſo habuit.

Cui vero *Oliver* [25]), medicus ejusdem aetatis, aſſentitur, qui uteri quoque procidentiam in eadem femina obſervatam inde referendam eſſe putavit. Urinam enim ad excreſcentiam illam per urachum adſcendere et per illum ab initio fluxiſſe, quia per meatum urinarium nullum natura praebuerit exitum, arbitratus eſt. Lotium autem per urachum ad umbilicum adſcendere non poſſe, niſi veſica ſit turgide repleta, ex illa autem plenitudine, ut ſemper in utero non parvo pondere gravaretur et illum foras extruderetur, neceſſarium eſſe collegit.

Quodſi vero noſtra jam aetate, ne quis exſiſtat, qui de vera mali *natura* mecum contendat, mihi non ſit quod verear; aliter tamen, ſi *ortum* mali reſpiciamus, rem ſe habere intelligo. Mihi enim ſcripta perluſtranti, quae hac de re copioſius agunt, quam plurima occurrebat eorum ſententia, qui veſicam urinariam, urethram nec non ſynchondroſin oſſium pubis *ab initio rite conformatas et ſerius demum vi quadam mechanica, in externis poſita, ruptas atque diſtractas conſtituunt.*

Haec ut rite intelligantur, afferam inter ſcriptores prae ceteris *Rooſium* V. C., qui, quantum ſcio, primus fuit, qui hanc rem fuſius tractaverit et, ſententiae ſupra prolatae aſſentatus, in rerum enumeratione quibus mali illius ortus tribuendus ſit, prae aliis vocaverit lapſum gravidae et abnormem quendam foetus in utero ſitum.

Herderus autem, ſupra jam laudatus, caſu illo deſcripto, cum de cauſis etiam loquatur, quarum vero tres ſtatuit, praediſponentem, occaſionalem et ex hisce productam proximam, ita quidem diſſerere pergit: „Si ſub cauſa proxima effectus ex cauſa occaſionali in praediſponentem operanti intelligatur, tunc unicam hujus morbi veſicae ſtatuere cauſam proximam rei non conſentaneum mihi videtur; propterea quod morbus ſeu effectus complicatus ſit, tum in prolapſu, tum in inverſione veſicae poſitus. *Prolapſus* quidem cauſa proxima in hiatu oſſium pubis quaerenda; *inverſionis*

24) Philoſophical Transactions. Vol. XXXII. p. 408.

25) Ibid. p. 417.

autem in ruptione veſicae anterioris partis et urethrae ponenda eſt.“ Cauſas vero praedisponentes *Herderus* in teneritate ac mollitie ſynchondroſeos oſſium pubis integumentorum et veſicae foetus ponit.

Quod denique ad cauſam occaſionalem attinet, eam in laeſione quadam, qua vero gravidam affectam narrat, quaerendam eſſe putat. Tertio enim graviditatis menſe illam media nocte ſomno excitatam, incendio in ejus pago oborto, et, ut auxilium ferret, accurrentem in tenebris vehementer in regione inferiore pubis offendiſſe ad temonem, e curru prominentem, refert; cui vero offenſioni integumentorum foetus abdominalium ejusque veſicae ruptionem tribuendam eſſe affirmat. — Si quis vero aſſumere nolit, partium illarum ruptionem vi externa ſtatim fieri potuiſſe, rem alio quoque modo ſibi fingere *Herderus* concedit. Offenſio nempe in foetus regionem pubis facta tantam debilitatem et laxitatem hic efficiat, ut poſt aliquod tempus, ceteris foetus membris creſcentibus et ſe expandentibus, ruptio in loco affecto facile oriatur.

§. 13.

Scriptorum autem ſententiae, partes illas ab initio bene conformatas fuiſſe et ſerius demum vi aliqua externa, corpori matris allata, ruptas eſſe judicantium, tam multa quidem atque gravia argumenta objicere poſſumus, ut ad mali ortum explicandum minus apta ideoque plane rejicienda videatur.

Argumenta vero, quibus ductus ſum, ut quae illi protulerunt rejiciam, omnino haec ſunt:

a) Ab initio ad quarti graviditatis menſis exitum, foetum funiculo ſuo umbilicali pendentem in liquore amnii libere natare nec ullo loco membranas ovi attingere, quis eſt, qui neſciat? Itaque quis credat foetum adhuc mobilem et liquore amnii, velamentis, utero, integumentisque matris communibus optime munitum, per impetum jam prioribus graviditatis menſibus in matris abdomen factum, tam graviter affici poſſe, ut ulla partium continuarum rumpatur.

b) A quinto quidem graviditatis menſe ovi membranas atque uteri parietes magis magisque foetum attingere et, certiore ſede occupata, facilius quam antea vi aliqua externa laedi poſſe conſtat. — At ſi provectiorem jam partium evolutionem reſpiciamus, tanta graviorum organorum laeſione foetus morte ſtatim exſtinguatur opus eſſe videtur. Ac nihilominus magnum numerum, vitio illo deformatorum, qui vita tamen ac proſpera valetudine perfructi ſunt, luculenter docent ſcriptores.

c) Quibus accedit, ut in normali foetus in utero ſitu facies ad ſymphyſin ſacro-iliacam unius lateris ſpectet, tota igitur anterior foetus facies ad poſteriora converſa occurrat. Itaque illas quidem partes, quae prava conformatione praeditae inveniuntur, cuivis impetui, in regionem matris abdominalem facto, minime objectas, intelligimus. Quodſi vero ruptionem partium, jam rite conformatarum ſtatuamus, omnibus ita deformatis talis in utero ſitus fuiſſet, neceſſe eſt, ut foetus regio pubis ad eandem matris ſpectaret. Sane tantum hypothetica opinio atque incerta!

d) Mira etiam perſimilis ac fere conſentanea obſervationum conditio mihi videtur. Ex diverſa autem virium externarum ratione nec non ex vario embryonis ſitu, varii generis laeſiones prodeant oportere putaverim.

e) Maxime vero ſententiae ſupra prolatae obſiſtere videtur, quod matris mens, tum in noſtro, cum in aliis caſibus minime ullius impetus, in abdomine facti, retinuerit memoriam. Tantam autem vim, quae quidem ruptionem partium efficere potuerit, matris memoriam omnino fugiſſe, quis eſt, qui hoc ulla cum probabilitate contendat? — Nonnullos tamen ſcriptores impetum quendam in matris abdomen vere factum aperte narraſſe, lubenter quidem concedam. Nonne ſaepius aliqua et minoris momenti matris affectio a parentibus ſupra veritatem prolata ſit, imo vero interdum omnino ficta? Inter omnes enim conſtat maxime ruſticos in inveniendis morborum ſuorum cauſis ingenium acutum prodere, quarum plurimas et falſas et ridiculas medico afferunt, quibus morbi natura dilucidetur.

Mali ortum ab ſuperioribus diverſum ſtatuit Scotus *Duncanius*, qui vero urethram primae formationis vitio occluſam neque perviam putat, qua quidem urina in veſica collecta retineatur. Veſica autem turgide repleta oſſa pubis tenera adhuc atque mollia diſtendi, dein vero muſculos abdominis ſejungi, anteriorem veſicae parietem nec non integumenta foetus abdominalia preſſu quidem lotii collecti, magis magisque aucto, extenuata prorſus tandem rumpi exhibet.

Quocum autem mihi non erit certandum, ſiquidem haec dicta in *Meckelio* libro, qui anatomiam pathologicam tractat [26]), firmis argumentis perculſa inveniantur.

26) Tom. I. pag. 730.

§. 14.

Quum vero hucusque ſcriptorum recenſionem, qui de vitio illo ejusque ortu egerunt, perſecuti ſimus, nec in illorum numero ullum adhuc inveniremus, cui prorſus aſſentiendum nobis ſit, jure quaeritur, an nemo omnino adſit, qui ſuperiorum meliorem hac de re protulerit ſententiam?

Quae cum ita eſſent, nova hujus rei explicatio eſſet quaerenda. Attamen unus exſtitit idemque *Meckelius* V. C. optime et de univerſa anatomia et de anatomia pathologica meritus atque de ea differens, qui ſententiam attulit, quae ad ortum vitii illius explicandum mihi quidem aptiſſima videtur. Qui vero vir doctiſſimus illud veſicae ac partium genitalium *primae habendum eſſe conformationis vitium* atque illius generis aberrationibus addicendum, *quae ex impedita vi formatrice proficiſcuntur* (*Hemmungsbildungen*) optime demonſtravit. Cui vero ſententiae plane adſtipulor, nec meliorem unquam rei explicationem inveniri poſſe, ingenue profiteor.

Res autem poſtulare videtur, ut paullo uberius de ea agamus.

Impedita vero audit evolutio, cum corporis alicujus, aut ſinguli ſyſtematis, aut organi conformatio in quodam ipſius gradu permanet nec progreditur. Facile itaque intelligitur ſtatum quendam corporis ſeu ſyſtematis, ſeu organi alicujus certae quidem aetati ſatis aptum, quavis tamen ſeriore aetate abnormem et irregularem dici; ſiquidem corpus, ſyſtema et organum quodque, ut ad perfectiorem conformationem progrediatur et magis magisque immutetur, in evolutionis legibus poſitum ſit.

Quae a me igitur aliisque deſcripta veſicae conditio abnormalis quadam vitae foetalis aetate normalis exſtitit: is in corporis evolutionibus mutabilis veſicae ſtatus, cohibitis viribus formatricibus, idem permanſit. Quae vero ſententia continetur:

I. *Succeſſiva foetus ipſius evolutione.*

A primo quidem initio embryo tam in anteriori, quam in poſteriori corporis facie diffiſſus apparet, tanquam duabus partibus lateralibus compoſitus, quae vero magis magisque ad ſe invicem curvantur: thoracis igitur abdominisque inteſtina atque medulla ſpinalis nuda conſpiciuntur. Itaque, ſi bene moneo, nil obſtat, quominus cavorum fiſſuram *in veſicae et urethrae etiam anteriorem faciem provectam* ſtatuamus.

Deinde vero, ſi regularem ſequatur evolutionis decurſum natura, cavitates illae pededentim occluduntur, ita quidem, ut earum coalitio a ſummo incepta ad

imum progrediatur. Primum enim ſternum formatur, ſimulque pectoris inteſtina in thoracis cavum excipiuntur. Tum abdominis etiam cavitas, recepto tractu inteſtinorum, antea in funiculo umbilicali poſito, clauditur.

At vero ſi vis naturae formatrix in hoc evolutionis gradu compeſcitur, inde ſequatur neceſſe eſt, ut, inteſtinis in funiculo umbilicali remanentibus, abdominis cavum non operiatur et partus monſtroſus, utpote qui fiſſura abdominis una cum veſicae et urethrae fiſſura emineat, cujus ſpecimen quoddam in nona paragrapho protuli, in lucem edatur.

Si jam evolutio, priusquam impedimento quodam ſiſtatur, paululo ulterius progreſſa erat, ſuperior cavi abdominis pars occluſa, regio tamen pubis, veſica et urethra adhuc aperta invenitur, qui vero noſtro quidem exemplo ſtatus illuſtratur.

In altiorem etiam evolutionis gradum provecta veſica operta conſpicitur, remanente ſolum ſynchondroſeos oſſium pubis et urethrae fiſſura. — Nonnunquam autem formatur etiam oſſium pubis ſynchondroſis, ita quidem, ut urethrae ſolum fiſſura, vel totalis, vel partialis ſuperſit, quorum multa ſpecimina *Baumium* publici juris feciſſe, jam ſupra commemoravi.

Haec conſueta evolutionum ſeries. At me non omnino fugit, nonnullos foetus, quibus abdomine jam occluſis thorax adhuc diffiſſus erat, obſervatos eſſe; quo quidem regulari evolutionis ordine naturam non ſemper adſtringi intelligitur.

II. Continetur etiam peculiari veſicae urinariae conformatione.

Prima vero veſicae origo, quam pari modo in tractus inteſtinorum conformatione eſſe conſtat, e duabus laminis proficiſcitur, molli quadam ac vaſculoſa textura in anterioris abdominis pariete conſpicuis; quae quidem ſententia quibusdam *Voiſinii* et *Soemerringii* obſervationibus, a Meckelio commemoratis, tuetur. Ambae hae laminae ab utroque latere ad ſe invicem accedentes media in abdominis facie in communem laminam committuntur, cujus ratio deinde ea eſt, ut medio loco foveam quandam praebeat, quae ab initio, cum ureteres, tum tractus inteſtinorum ac ſyſtematis ſexualis orificia recipit (*Kloackbildung*). Senſim vero inteſtinorum ac partium genitalium oſtia communem foveam relinquunt, ita ut ureteres ſolum iſtinc ſe evacuent. Poſtremo veſicae, magis magisque receſſae, margines laterales propius ad ſe invicem accedunt, quorum conjunctione anterior etiam veſicae facies concluditur; eodemque tempore oſſa pubis ab utroque latere convergentes adjunguntur.

Quae cum ita ſint, peculiari veſicae evolutione fiſſuram ipſius congenitam explicari poſſe, facile patet. Quid vero ſit, quod urethra etiam diffiſſa appareat et quod penis nimis brevis inveniatur, in eo quaerendum videtur, quod cavernoſa penis corpora non juſto modo coalita exſiſtant. Obſtat autem rectae eorum coalitioni oſſium pelvis hiatus; illorum enim crura, ab aſcendente oſſis iſchii ramo utriusque lateris orta, ſingula ſingulatim aſcendunt adſcendendoque convergentia in ſymphyſi pubis conjunguntur et abhinc communibus integumentis veſtita, una cum corpore urethrae ſpongioſo, iis ſubeunte, colem ipſum repraeſentant.

Quodſi vero ſymphyſis pubis non coalita ſpectetur, oſſa pelvis hiare ſatis intelligitur, quo vero fit, ut crura illa ſejuncta ac quaſi divulſa occurrant, nec niſi in in anteriori colis parte quaedam conſpicitur, interpoſito ſpongioſo urethrae corpore, lateralium corporum cavernoſorum conjunctio inferior.

Superne igitur non juſto modo connata apparent, quippe quae ad latera diſpoſita nec inter ſe ipſa, ſed tantummodo cum corpore ſpongioſo urethrae interpoſito cohaerentia ſpectentur, quare totus urethrae canalis in conſpectum prodeat, neceſſe eſt. Quibus propoſitis, nimia penis brevitas facile explicatur; ob eandem enim pelvis hiatum corporum cavernoſorum crura, priusquam iis ad ſe invicem accedere et colem ipſum formare liceat, ſpatium ſolito majus ſejuncta emetiri coguntur.

III. Affirmari atque corroborari propoſita videtur ſententia

ea potiſſimum obſervatione, qua una cum veſicae et urethrae fiſſura aliae ſaepiſſime inveniantur deformitates, quae vero primae conformationis vitia ab omnibus probantur. Quid enim quis aliud, ſi in eodem corpore jam plura inventa fuiſſent primae conformationis vitia una cum veſicae et urethrae fiſſura, eſſe cauſae putabit, niſi impeditam vim formatricem?

Quae vero conformationis vitia veſicae et urethrae fiſſuram maxime comitari ſoleant, nunc paucis tibi demonſtraturus ſum.

a) Partium legitime conjunctarum fiſſurae congenitae, maxime vero et prae ceteris:

aa) Labii ſuperioris et palati mollis atque duri fiſſura, cujus nonnulla ſpecimina Meckelius V. C. in medium profert. Quam vero deformitatem ex cohibitis viribus formatricibus originem ducere, ſi cavitatis oris evolutionem diligentius reſpiciamus, facile intelligimus. — Ab initio enim, ſepto non interpoſito, oris et narium cavitates unicum ſolum conſtituunt cavum, quod ſe-

rius demum, processibus osseis a margine alveolari maxillae superioris utriusque magis magisque ad medium accrescentibus, in duo distribuitur. At vero, si, retardata evolutione, media haec coalitio non plane perficiatur, fissum exsistere palatum facile patet. — Porro homini, reliquorum instar mammalinm, os est intermaxillare. Accedit tamen nonnunquam, ut hoc vel omnino desit, vel in uno tantummodo latere formetur, vel denique, etsi plane perfectum, superiori tamen maxillae in utroque latere non conjungatnr.

Postremo, tota oris cavitate rite conformata, interdum tamen labium superius medio loco non coalitum spectatur.

Ita quidem varia prodeunt labii leporini genera.

bb) Abdominis fissura, jam in nona paragrapho exemplo quodam affirmata et simili ratione retardatae tribuenda evolutioni. — A principio enim abdominis cavum apertum invenitur atque ejus intestina in funiculo umbilicali posita sunt, quae quidem justo tempore in cavum non recessa, ne hoc legitime occludatur, omnino vetant.

cc) Canalis medullae spinalis fissura.

Haec vero in inferiori columnae vertebralis regione saepissime occurrit, quae quidem res ex eo proficiscitur, quod hic etiam canalis a summo ad imum operitur.

Spinae autem bifidae una cum vesicae fissura specimen habes in eadem nona paragrapho et, si plura quaeris, qui de vesica diffissa agunt, scripta Virorum celeberrimorum perlustres. Hujus autem vitii ortus columnae vertebralis formatione illustratur, quippe quae primo tempore ex duabus oritur partibus lateralibus. Dein vero corpora vertebrarum committuntur; tum arcus earum utriusque lateris convergunt; denique totus canalis, processibus spinosis excultis, omnino occluditur.

Quodsi vero harum evolutionum ordo in quodam ipsius gradu permanserit, spinam bifidam vel totalem vel partialem exsistere intelligitur.

dd) Synchondroseos pubis fissura, ut in nostro, sic in plurimis de vesica diffissa scriptis commemorata.

Ossa vero pubis anteriores vertebrarum inferiorum arcus habeantur licet, quorum reunio, eodem modo, quo posteriorum, arcu utriusque lateris ad se invicem accedente, perficitur. Retardata autem evolutione, ut hiatus eorum, spinae bifidae luculenter respondens, permaneat, efficitur.

b) Abnormis umbilici ſedes.

Equidem vero eum et in puero, cujus vitium hac ſcriptione dixi, inveniebam, qui multo inferiorem locum, quam in regulari ſtatu fieri ſolet, obtinuerit.

Apparebat enim in media parte regionis hypogaſtricae ſtatim ſupra tumorem, quem veſicam inverſam ſtatuimus.

Eandem autem umbilici ſedem plurimi de veſica inverſa ſcriptores docent; quae quidem aberratio permanſionem in ſtatu quondam regulari luculentiſſime arguit. Adhaeret enim ab initio, uti ex phyſiologorum ſcriptis audimus [27]), funiculus umbilicalis extremitati embryonis inferiori ſeu caudae, unde vero ad mediam trunci regionem pedetentim adſcendit.

c) Mira venae umbilicalis conditio,
quam a beato Fuchſio obſervatam ſupra commemoravi. Singularis vero haec conformatio primam vitae foetalis aetatem prodere videtur, quo quidem tempore placenta infimam proxime abdominis partem obtinuerit, ita ut ejus rami venoſi in abdominis cavo demum pedetentim in truncum communem committi poſſent.— Docet ſimul primam embryonis conditionem, cujus ratio ea eſt, ut anterior corporis facies plane aperta ſpectetur, quapropter vaſa umbilicalia in unum inſertionis locum condenſata non apparent, ſed variis in locis in abdominis cavum intrare iis licet [28]).

d) Abnormis pelvium renalium et ureterum amplitudo.

In cadavere, a beato Fuchſio diſſecto, ureteres triplo, quam par eſt, ampliores ipſe vidi, quae vero aberratio pluribus aliorum obſervationibus affirmatur.— Multo autem ampliores, quam provectiori aetate, in ſtatu foetali ureteres inveniri, diligentes corporis humani indagatores docent [29]); hoc igitur vitium retardatae etiam evolutioni tribuendum eſſe putaverim.

e) Retardatus teſticulorum deſcenſus.

In permultis veſicae inverſae exemplis ſcrotum teſtibus vacuum inventum eſt; in noſtro tamen deſcenſos tactu exploravi, ſed praeſertim quoad dextrum parvos et exiguos. Et hunc ſtatum abnormem remorata contineri evolutioni, ipſo teſticulorum ortu atque deſcenſu illuſtratur, quem vero hic referre mihi, ut ve-

27) *Meckel Handbuch der menſchl. Anatomie IV.* p. 714.

Carus Gynaecologie II. p 32.

28) *Meckel patholog. Anatomie I.* p. 91.

29) Ejusdem *Handbuch d. menſchl. Anatomie IV.* p. 487.

rum fateor, ſupervacaneum inutileque videtur, cum mox infra de hac re mihi copioſius dicendum erit.

f) Veſicularum ſeminalium et ductuum ejaculatoriorum vel imperfecta conformatio, vel univerſus defectus et ductuum in loco minus apto apertura.

Hujusmodi exemplum *Portalius* tradidit, qui ejusmodi ductuum ejaculatoriorum invenit aberrationem, ut in ureteres inſerti eſſent. Et in noſtro caſu vitioſum horum ductuum decurſum ſuſpicer, propterea quod eorum oſtiola in urethra aperta fruſtra quaeſivi. Cel. *Meckelius* imperfectae horum canaliculorum conformationis, vel plane interruptorum exempla quaedam litteris mandavit [30]). Quoad vero vitioſum ductuum ſeminalium exitum in loco inepto ex. gr. in ureteribus, hic ex illo tempore derivandus videtur, quo quidem ureteres una cum tractus inteſtinorum et ſyſtematis ſexualis oſtiis in commune cavum aperiuntur; externae autem partes genitales nondum ſatis efformatae occurrunt.

g) Hernia inguinalis congenita et in noſtro et in aliis caſibus obſervata.

Poſtremo vero hernia etiam congenita retardatae debetur evolutioni, cujus enim vitii ortus canali vaginali teſtis ac funiculi ſpermatici juſto diutius pervio tribuendus eſt.

Quo autem pacto hernia naſcatur congenita, ut ſatis bene intelligas, deſcenſus teſticulorum rationem diligentius perſpicias oportet, qua de re ut paullo uberius loquar, neceſſe mihi videtur.

Tertio quidem graviditatis menſe utriusque lateris teſtis proxime ſub renibus ſitus conſpicitur, plica quadam peritonaei laxe velatus. Eodem vero tempore ſcrotum impletur tela formativa, quae quidem per annulum abdominalem, intertextis fibris, a muſculis abdominalibus natis, in poſteriori peritonaei facie ad inferiorem teſtis partem ſurſum petit, cui vero columnae gubernaculi Hunteri nomen tribuitur.

Quarto menſe proceſſus quidam peritonaei ſpectatur, qui vero extra cavum abdominale porrectus in peculiarem quendam ſacculum, ſcrotum ſpectantem abit.

Gubernaculum autem ſexto menſe quodammodo excavatum apparet, ita ut ſe tubuli ope inflari facile patiatur. Teſtis nunc ſuperiori gubernaculi faciei proxime incumbens ſpectatur. Septimo menſe teſtis in illud gubernaculi cavum intrat; octavo autem hoc ipſum nec non annulum abdominalem transgreſſus in ſcrotum pervenit ibique plica quadam proceſſus illius peritonaei, tunicam vaginalem propriam, quam dicunt, repraeſentante recipitur.

Quo facto proceſſus iſte peritonai arctiſſime clauditur, imo brevi plane coaleſcit, ut vix veſtigium ejus in infantili aetate adhuc inveniri ſoleat.

30) *Pathologiſche Anatomie I.* p. 687.

Quem evolutionis decurſum ſi bene perſpexeris, eum triplice quidem modo herniis oriendis inguinalibus locum dare poſſe, facile intelliges. Primum enim fieri poteſt, ut teſtes deſcendentes aliquam tractus inteſtinorum partem ſecum ducant, ita ut hernia exiſtat congenita. — Deinde nonnunquam accedit, ut, teſtibus demiſſis, proceſſus peritonaei non coaleſcat, quapropter continua herniis oriundis anſa offertur. — Denique evenire poteſt, ut, teſtibus in cavo abdominali remanentibus, canalis vaginalis non occludatur et gubernaculum, ad recipiendum teſtem paratum, aliud quoddam viſcus complectatur et teſtis loco in ſcrotum detrahat.

§. 15.

Haec igitur ſunt argumenta, quibus ſententiam noſtram, veſicae et urethrae diffiſſae naturam in primordio conformationis vitio, ex retardata quidem evolutione nato, quaerendam eſſe, maxime contineri cenſui. At ſi forte quaeſiveris, quid ſit quod vis naturae formatrix in hoc ſtatu permanuerit nec ulterius progreſſa ſit? vereor, ne quid tibi reſpondere poſſim, quod omnino ſufficiat. Tot enim tantisque obſtructae ſunt difficultatibus et obſcuritatibus vires, quibus prima embryonis evolutio perficiatur, nec non leges, quibus vires illae formatrices temperantur, ut de cauſis earum, a normali typo aberrantium aut plane ceſſantium certiora quaedam eruere pro meis quidem viribus difficilius habeam. Ne tamen haec plane omittam pauca quaedam adjicere liceat.

Siſtitur vero, ex mea quidem ſententia, vis naturae formatrix vel cauſa quadam ignota, in foetu ipſo poſita, vel externis quibusdam cauſis, quas ad gravidam maxime malefacientes ſcimus. Huc vero pertinent cujusque generis animi perturbationes, quibus in noſtro etiam caſu, cum mater ingraveſcens in magna cum marito diſſenſione verſata ſit, vitii ortus tribuendus videtur.

Denique omnino haud dubito, quin etiam res mechanicae, quas dicunt, impetum in corpus gravidae externum facientes, vim formatricem in partibus foetus male affectis debiliorem et imo plane ceſſantem reddere poſſint. Hisce autem illas embryonis partes *jam plane perfectas* optimeque munitas prorſus rumpi ac ſejungi poſſe, jam ſupra copioſius refutavi.

C a p u t IV.

Functionum partium deformatarum, maxime vero ſexualium ratio.

§. 16.

Pravam organorum conſtitutionem aberrationem, etiam in functionibus ſecum ferre in aprico eſt. Quomodo igitur illarum partium, quarum perverſam conforma-

tionem jam copiosius tractavimus, turbentur functiones, in hoc extremo tractatiunculae capite explicare liceat. Quoad primum organorum, quae lotii excretioni inserviunt, functionem, vesicam diffissam et inversam, urinam, ut in normali ejus conformatione fieri solet, colligere et collectam justo modo evacuare non posse, facile patet. Urina, quotiescunque guttula ejus ex ureteribus, in externa abdominis facie libere apertis, emanat, statim ad extera profluit, quo vero continuo lotii stillicidio partes vicinae nec non miseri vestes perpetuo contaminantur et ab illius acrimonia corroduntur.

Nonnunquam tamen vesicae defectus quodammodo compensatur ipsa ureterum ratione. Huc pertinent eorum observationes, qui ureteres ampliores et altius, quam solent, in pelvim descensos, dein vero ab hac directione recedentes et iterum sursum petentes repererunt, ita quidem, ut parva in iis urinae copia colligi posset.

Sed de his satis. Animum intendamus ad functionum sexualium rationem et ad quaestiones quasdam ad medicinam forensem spectantes.

§. 17.

Si vero partium genitalium externarum perversam conformationem respiciamus, vitium istud, quod *epispadiam* seu *anaspadiam* vocant, nobis obviam venit.

Epispadiaeorum vero vocem miseris illis tribuimus, qui urethrae rima seu fissura in dorso penis laborant [31]), oppositis hypospadiaeis, quibus urethra in inferiori penis facie aperta est. *Baumius* autem [32]) hypospadiam dicit urethrae fissuram simplicem vel totalem vel partialem, situ ejus non mutato, et epispadiae vocem urethrae fissurae vel totali vel partiali cum situs ipsius aberratione complicatae tribuit. Equidem vero epispadiaeum voco urethrae fissura in dorso penis instructum, qualem puerum nostrum et *Stoltum* illum, in decima paragrapho descriptum cognovimus. Eruamus igitur in hisce ultimis paragraphis, num ad procreandam prolem apti sint epispadiaei nec ne; dein vero in nostrum miserum, num vis sit in eo procreandi, animum convertamus.

§. 18.

Jam vero cum quaestio exsistat, num epispadiaei prolem procreare possint nec ne, primum, opinor, *facultatis coeundi* ratio habenda est.

31) *Henke Lehrbuch der gerichtlichen Medicin. Berlin* 1827. p. 120.

32) *Dissertatio de urethrae virilis fissuris congenitis. Berol.* 1822.

Non vero dubitationem habeam, quin epifpadiaeis, aliis penis deformitatibus non vexatis, coeundi fit facultas. Verum tamen penis immiffio impeditur, fi hic folito craffior et brevior, fcrotoque omnino affixus confpicitur.

Dein autem *vis generandi fenfu ftrictiori* confideranda eft. Quaeri etiam poteft, an forte epifpadiaei omni ftimulo venereo deftituti fint? Si enim quamque vim actionemque fibi propriam effingere materiem ponamus, partibus fexualibus imperfecte conformatis, ftimulus fexualis ut plane vel defit, vel debilis exfiftat, fequitur. At urethra, quae tantummodo femini virili viam aperit, quoad functiones fexuales, minoris eft momenti ideoque, reliquis partibus fexualibus integris, ob fimplicem epifpadiam feminarum appetitum effe abjudicandum, omnino non cenfeamus. Accedit etiam, ut fcriptorum obfervationes perluftranti nonnulla occurrant epifpadiaeorum fpecimina, qui rei venereae diligenter incubuerint; quamquam aliis hoc vitio afflictis exiguus folum aut plane nullus erat feminarum appetitus.

Hisce vero integram effe epifpadiaeis coeundi facultatem, nec hoc vitio ftimulum fexualem neceffario exftingui fatis intellectis, fupereft ut inquiramus, an femina, epifpadiaeum fibi admittens, gravida fieri poffit?

Conceptio autem non perficitur, nifi fecundum femen virile in uteri cavum pervenerit. Hoc vero in urethra demum ad uteri orificium dirigitur, quare, urethra occurrente diffiffa, verendum eft, ne illud a recta directione aberret. Rem tamen fi diligentius perpendamus, hoc vitium quodammodo eo compenfari intelligimus, quod pene immiffo ex urethrae femicanali cum vaginae muliebris dorfali facie integer formatur canalis, quo facto femen recta via ad uterum dirigi poffe, facile patet.

Quae cum ita fint, *epifpadiaeis procreandi facultas tribuenda, nec cum hoc vitio impotentia virilis neceffario conjuncta effe* videtur. Sane vero exceptioni locus nonnunquam datur; igitur pauca quaedam, quae in fingulis cafibus, ut de vi generandi certiores fiamus, maxime eruenda fint, adjicere liceat.

a) Primo inquiras, an habitus adfit mafculus, an alterius fexus appetitus, an per pollutiones nocturnas femen interdum effundatur?

b) Dein obferves, quae fit partium genitalium externarum conditio, utrum integra adfit coeundi facultas, an nimiis difficultatibus penis immiffio fit obftructa?

c) Poftremo fpectes ad internarum partium fexualium rationem, qualis in vivo corpore confpici poffit. Saepiffime enim epifpadia cum partium genitalium internarum vitiis complicata eft, quae quidem impotentiam virilem efficiunt. Quare inquiras, an teftes in fcroto inveniantur et quae fit eorum ac funiculi fperma-

tici natura, an ductuum ejaculatoriorum oſtiola in urethra aperta conſpiciantur? Inventis illis, locum, quem in urethra occupant, reſpicias; nimis enim anticum locum obtinentia, ex. gr. in balano diffiſſa poſita; ne ſemen ad uteri orificia dirigi poſſit, impediunt.

Hisce omnibus diligenter perſpectis, te, quoad vim generandi, ſententiam laturum eſſe, cui vero ſummae probabilitatis laus concedatur, perſuaſum habeo.

§. 19.

Quodſi vero praemiſſa, quae epiſpadiaeorum vim generandi univerſe tractant, ad puerum noſtrum epiſpadiaeum referamus, haec reperiuntur.

a) Ad ſtimulum ſexualem quod attinet ob nimis teneram pueri aetatem nihil certi ſtatuere poſſumus.

b) Coeundi facultatem, pene nimis brevi ſcrotoque affixo, aut plane negatam aut perverſam atque imperfectam eſſe cenſeo.

e) Conſtat autem, bene etſi imperfecta ratione in vaginam intromiſſo, prolificum tamen coitum fieri poſſe, quare vim etiam generandi, ſenſu ſtrictiori, diligentius inquirere debemus, et hic ductuum ſeminalium aperturae potiſſimum ſunt reſpiciendae. Quarum cum in urethra nullum veſtigium apparuerit, illos aut plane deeſſe, aut in alium canalem ex. gr. in ureteres inſertos eſſe, perſuaſum habeo. Reliquas etiam partes ſexuales internas vitioſe conformatas eſſe, ob teſtium exiguitatem mihi perſuaſum habuerim.

Quibus vero omnibus propoſitis, puerum, cujus deſcriptio in primo capite dedimus, tam ob maximas difficultates, coitui objectas, quam ob ductuum ejaculatoriorum defectum *impotentem* cenſemus.

§. 21.

Si quis vero, cum in tractanda vi generandi ad penis ſolum et partium reliquarum ſexualium vitia ſpectaverimus, interrogaverit, an forte veſicae deformitas vim aliquam ad generandi facultatem habeat, hoc ex medicinae forenſis notione haud plane negandum videtur. Quomodo autem hoc veſicae vitium uni vel alteri maritorum procreandi impotentiam afferre poſſit, im hac ſumma paragrapho paucis demonſtrabo:

a) Fieri enim poteſt, ut conjugum alter, qui vitio illo non vexatur, urinae continuo deſtillantis partesque vicinas contaminantis ingrato odore offenſus a con-

cubitu abhorreat. Haec tamen multos homines minus faſtidioſos non ſpectant.

b) Jam vero moleſtior, ut opinor, alteri conjugi, veſica inverſa depravato, concubitus exſiſtit; nam ſi ad coitus rationem ſpectemus, veſicam inverſam atque prolapſam facile teri ac comprimi poſſe, ideoque concubitum ingratum ac dolorificum reddere intelligimus. Quas tamen moleſtias non tantas occurrere, ut omnes a rebus venereis abhorreant, quaedam, ab *Olivero* narrata, docet hiſtoria.

Cui medico anglico nautae cujusdam uxorem, veſica inverſa laborantem, quae jam ſemel peperiſſet, perquirendi fuit copia. Muliere ad examen commode locata, ille tumorem ſaepe deſcriptum cum ſummo digiti leviſſime tetigit. Quo facto, miſella non aliter, ac ſi gladio perfoſſa fuiſſet, ejulavit.

Mirum medico viſum eſt, mulierem cum marito ſuo congredi; ex ſitu enim partium colligere potuit, quam vehementer vir, rei venereae incumbens, excreſcentiam illam, prorſus intactilem, abdomine ſuo duriter perfricaret. Rogata quomodo haec perficerentur, reſpondit ſe omnia ob amorem, quo maritum ſuum proſequeretur, lubenter pati. Sic amor omnia vincit.

T H E S E S.

I.

In ſanguinis motu cordis et arteriarum contractiones minoris eſſe momenti, majoris vim vitalem, ſanguini ipſi tribuendam, cenſeo.

II.

In permultorum morborum diagnoſi oculi conditionem maxime valere, cujus diligentior disquiſitio nunquam ſit negligenda, affirmo.

III.

Homoeopathica, quam dicunt, ſanandi methodus, non niſi medicis rite comprobatis concedatur: aliorumque ignara ſedulitas opprimatur.

IV.

Aquas medicatas, arte compoſitas, quamquam non plane contemnendas, nullo tamen pacto propriam naturalium vim adſequi poſſe, contendo.

V.

Contagio gonorrhoico et contagio venereo non eadem, ſed multo alia natura tribuenda.

VI.

Quid ſit, quod majorum corporis partium amputatio, ab initio proſpere peracta, poſthac demum, non paucis diebus interjectis, funeſtum tamen exitum ſaepe exhibeat, maxime in eo quaerendum, quod, minuto corpore, nimis magna ſit ſanguinis copia ideoque congeſtiones ad organa graviora facile oriantur.

VII.

Forceps obſtetricia ſaepiſſime maturius admovetur, quam res poſtulat.

VIII.

Vagitus uterinus haud eſt negandus.


Figurarum explicatio.


Quae reſpuat orationis filium, ea hoc loco ſupplere viſum eſt. Quamquam enim figurarum, laminae inciſarum, non admodum difficilis eſt explicatio: ſuſceptae tamen ſcriptionis ratio ſane poſtulat, ut de vi litterarum ſingularum, quibus notata ſunt praecipua eaque mirifica utriusque figurae loca ſingulatim exponamus.

Itaque ad figuram ſuperiore tabulae loco poſitam quod ſpectat, ea tali modo repraeſentat deformitatem, qualis ipſa apparet ab antica parte. Figura vero inferiore loco ita propoſita eſt, ut penis manu protractus et detractus conſpiciatur; quo fit, ut in ſuperiorem ejus faciem deſpicias et diſſiſſa urethra cernatur.

Itaque litterae utrique figurae communes hoc volunt:

a) Umbilicum.
b) Veſicam inverſam.
c) Aperturas ureterum.
d) Balanum, e duobus haemiſphaeriis conſtantem.
e) Praeputium.
f) Frenulum praeputii.
g) Scrotum.
h) Herniam inguinalem congenitam.
i) Marginem excelſum et calloſum, qui in corii ſuperficie apparebat.
k) Loca ad utramque veſicae partem, ubi tactu anguli oſſium pubis hiantium reperiri poterant.
l) Canalis urethrae diſſiſſae.
m) Corpora cavernoſa penis, ad latera diſpoſita.


a
b
k
k
c
c
i
d
e
h
f
g


a
b
c
k
k
c
i
l
m
e
h
f
g